



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XXV. Exemplar cape devotionis. Devotissima Pietas B. V. stimulat  
tepidos nostros animos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

## DISCURSUS XXV.

*Maria Virgo exemplaris Vas fuit insigne devotionis.*

Exordium,

**N**otitia rerum, humano intellectui ab Omnipotente adeò limitata fuit, ut solum de externis valeat judicare, deq; iis interiora debeat conjecturare, hinc erudito penicillo pulchritudinem cœli oculis hominum repræsentare volens ingeniosus Academicus, firmamentum sole resplendens aureum, lunâ fulgens argenteum, stellis sine numero scintillans adamantinum depinxit, superposito lemate: *Intrinssecus pulchriora latent.* Maria Virgo, pulcherrima mulierum, cœlum unicum, sedes ac domus Dei, monstrata est ab Angelo Ephesi S. Joanni Evangelistæ in suâ Apocalypsi. 12. cap. *Pulchra ut luna, electa ut Sol, stellis coronata.* Cujus incomparabili pulchritudini Spiritus S. Sponsus ejus descripsit. Cant. 6. cap. *Pulchra es, absq; eo, quod intrinssecus latet.* Intrinssecus fervor amoris, ac devotionis latet, ad quam exemplo suo obvios quosq; excitavit, ac proinde Virgo exemplaris, Vas insigne devotionis fuit. Testimonia SS. Patrum citamus.

SS. Patres.

*S. Maria, Virgo prudens, Virgo pudicissima, Virgo pulcherrima, & fecunda, corpore decora, atq; integra, animo laudanda, fide perspicua, vitâ præclara, amore virginitatis devota, in obedientiâ virtutum parata.* perorat S. Ildephonus. serm. 1. de Assumpt. B. V. *Quonam modo, O Maria! gravissimum tuorum incessum exprimam, quonam modo amictum! quonam modis tui venustatem, senilem in juvenili corpore prudentiam, honestus vestitus, molliem omnem, ac luxum fugiens: Gregorius gravis, atq; sedatus, ab omni molliem remotus: mores severi, atq; hilaritate temperati: ita comparata eras, ut ad te nulli viris accessus pateret; testis est metus ille, quem ex inusitata*

S. Ildephonus.

S. Joannes Damianus.



geli alloquio incidisti: parentibus morigera, & dicto audiens: animus humilis in sublimissimis contemplationibus: sermo jucundus, ex leni animâ progrediens: deniq; quid aliud quam Dei domicilium? testatur S. Joannes Damascenus Orat. 1. de Nat. B. V. Virgo itaq; & tenera, & delicata, regali stirpe progenerita, & speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum, ad hoc intendit, ut corpus & animam suam, Deo virginitate perpetuâ consecraret. scribit S. Anselm<sup>us</sup>. de Excellent. B. V. cap. 4. Verè procul dubio est credendum, quòd sicut ipsius anima coram Deo & Angelis erat pulcherrima, ita ejus corpus in cunctorum oculis eam intuentium fuit gratissimum; & quemadmodum Deus & Angeli, de ejus anima venustate gratulabantur in cælis, ita etiam gratissima ejus corporis pulchritudo omnibus eam cernere cupientibus, utilis fuit, & consolatoria in terris: videntes autem devoti, in quanto fervore illa Deo famulabatur, ad Dei honorem ferventiores efficiebantur; in his autem, qui ad peccandum pronissimi erant, ex ejus verborum & gestuum honestate, statim peccati fervor extinguebatur, quamdiu ipsam conspiciebant. loquitur S. Brigitta, in Serm. angelico. cap. 13. Non dubitandum, amoris ignem, & interiorem candorem, exterius etiam in eâ lucere, ut quæ puritatem angelicam habuit, vultum etiam angelicum habuerit. refert Richardus de S. Victore. cap. 26. in Cantica. O quàm melliflua verba, sapius distillantur dulcissima Maria labia, sicut dicitur in Canticis: Fervens distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua: de mellifluenta namq; hujus melliflui Verbi, per totum mundum mellifluis facti sunt cæli; Maria insuper mel sub lingua habuit, in mellifluis orationibus ad Deum; lac verò sub lingua habuit, in lacteis collationibus ad proximum. Concludit S. Bonaventura in Spec. B. V. lect. 10. Imploremus ab eâ Spiritus S. Gratiam, ut Conceptus desuper formare valeamus.

### CONCEPTUS I.

Tertio ætatis suæ anno, sese Mariam Virginem Domino præsentasse in templo Hierosolymitano, atq; ibidem usque ad

Confirmatio seu Deductio.

ad



ad decimum quartum ætatis annum indefinenter perve-  
râsse, cõmmunis Ecclesiæ docet traditio: sed quãnam occu-  
patione, Virgo beatissima, tot annos continuos transigit in  
Templo? an fortè aliarum puellarum more, artificiosos, in-  
xuique necessarios addiscere labores appetiit? vel verò huic  
sæculo, ejusque corruptis moribus, ratione Status, sese ac-  
commodare assuevit? minimè. Cui ergo, in primo juven-  
tutis suæ flore, studio acquievit? Respondet S. Antoninus,  
Part. 4. Tit. 15. Cap. 28. §. 3. *Psalter ergo gloriosa beata Ma-  
ria, præcisè Dei laudes canere studet, & hic ejus omnis finis, & in-  
tentio; de his redditur famosa, quia tantum laudes Domini ce-  
cinit.* In confirmationem loquitur S. Ildephonsus. Serm.  
2. de Assumpt. B. V. *Solummodò ea, quæ Dei sunt, requirit, &  
sapit; idcirco in illo tota exultat, tota gaudet, & latatur.* O  
utinam sic matres pietati ac devotioni, & non curiositatibus  
ineptis filias suas assuescerent, virginitatem earum certè in  
plures annos cautiùs conservarent, discite ergo adolescen-  
tulæ, in Mariâ Virginem moribus, Virginem pietate, Virgi-  
nem devotione, & cum S. Joanne Damasceno. Orat. 1. de  
Nat. B. V. exclamate. *O! divinum, & vivum simulacrum, ad  
quod opifex Deus inventus est, mentem quidem divinitus quæ-  
natam habens, ac Deo soli operam dantem.* O! Vas insigne de-  
votionis.

## CONCEPTUS II.

De vigilantia in Canticis gloriatur sponsa. *Ego dormio, &  
cor meum vigilat.* Cant. 5. cap. Quãnam fuit illa vigilia, in quo  
nocturno tempore, cæteris dormientibus, tam sæculo sponsa  
occupabatur? Non illa utique, quæ in armis militaribus con-  
stitit, & temporali tantum militiæ, iisque viris vel maxime con-  
fiditur: spiritualis itaque sponsæ vigilia fuit, quam suos Chris-  
stus docuit Matth. 26. cap. *Vigilate, & orate.* Vigilia, inquam,  
quæ lectione librorum spiritualium, contemplatione con-  
stitium, & assiduâ oratione perficitur. Sponsa Spiritus S.  
lantissima fuit, Virgo Maria, quæ in continuis hujus vigiliae  
ritu-



ritualis exercitiis diu noctuque defatigabatur. Summo mane  
cœlestis Nuntius, interiorē ejus cellulam subintrat, & ecce,  
non in molli lectulo quiescentem, sed ad pios libros flecten-  
tem in humilitate, & verba Isaïæ. cap. 7. *Virgo concipiet, &*  
*pariet filium.* profundè meditantem invenit, quare non modi-  
cum obstupuit Archangelus Dei, quòd nimirum devotiorē  
personam reperiret in terris, quàm adhuc unquam expertus  
fuisset in cœlis. Addit S. Bonaventura. in Spec. Virg. cap. 7.  
Virginem sanctissimam, non tantùm noctes integras perseve-  
râsse in oratione, & incarnati Verbi excellentias contemplan-  
do, & cœlestia meditando, illas consumpsisse, verùm etiam dor-  
miendo, & sensibus somno obrutis, animam tamen vigilan-  
tissimam ab illâ non cessâsse, ita, ut sive vigilans, sive dormiens,  
sive in labore, sive extra laborem, semper in profundissimâ fue-  
rit contemplatione perseverans: his motus P. Canisius. lib. 5.  
de beata Virgine, omnino judicat, vitam Dei Matris Virginis,  
continuatam extasim, atque contemplationem fuisse. Subscri-  
bit S. Bernardinus Senensis. serm. de Concept. B. V. art. 1. cap.  
2. *Erat illo tempore perfectior Contemplatrix, quàm unquam fue-  
rit aliquis, dum vigilavit, unde & Cant. 5. ipsa ait: Ego dormio,  
& cor meum vigilat: scilicet contemplatione perfectâ, à nullâ  
actione debilitata.* Nempe cœlum & terra, in devotione, nec  
similem visa est, nec habere sequentem, rectè igitur, Vas  
inigne devotionis.

### CONCEPTUS III.

Vix portam domus Elisabeth, Maria Virgo aperuit, cùm  
ecce tota domus, in laudes Dei erumpit, chorus integer lau-  
dantium Deum resonat: Elisabeth Deo laudem canit: *Bene-  
dictus fructus ventris tui.* Lucæ. 1. cap. Zacharias benè concin-  
nit: *Benedictus Dominus Deus Israël.* Joannes adhuc in utero  
matris, tactum exhibet: *Exultavit infans in utero.* Sed quæ con-  
centus hujus est auctrix? quis choralem hanc musicam clarâ  
voce intonavit? nonne Maria? loquatur S. Gregorius Tau-  
ma-

aa

ma-



maturus, ferm. de Annunt. B. V. *Vox itaq; Maria effusa fuit, & Spiritu S. replevit Elisabeth, ac veluti ex perenni quodam fonte instrumento lingua, flumen charismatum, per prophetiam cognata sua emisit, & pedibus infantis, in utro cubitatis, saltum & exultationem suppeditavit, quod quidem miraculosi tripudii symbolum, signumq; erat: nam ubi gratia advenit, gaudium cuncta repleta sunt. Virgo verè exemplaris, Vas insigne devotionis fuit.*

#### CONCEPTUS IV.

De S. Josepho & Mariâ Virgine scribit S. Mattheus Evangelista. 1. cap. *Et non cognoscebat eam.* Quòd Joseph carnaliter non cognoverit, plus quàm certum est, ac indubitatum, erant enim ambo casta pectora, & quasi purissimi duo Cherubim, Verbum Dei incarnatum circumstabant, ipsa Virgine teste. Lucæ. 1. cap. *Quoniam virum non cognosco.* Quomodo ergo obfuscati Joseph sunt oculi, quòd Mariam sponfam suam non cognoscat? Respondet Origenes in cap. 2. Matth. *Joseph in Mariâ tantam devotionem, tantam in omnibus ejus operibus pietatem animadvertit, & ideo neq; cognoscere, neq; discernere potuit, an Maria purus homo, vel non potius Dei Angelus esset.* tan insigne devotionis Vas erat.

#### CONCEPTUS V.

Moriturus in cruce Unigenitus Dei, & Mariæ Virginis Filius, dilectum discipulum suum Joannem, Matri suæ commendat dicens: *Mulier, ecce filius tuus:* Joann. 19. cap. Cur Christus Mariam tam simpliciter *Mulierem*, & cur non Matrem vocat? Forsitan stanti juxta crucem dolorosissimæ Virgini, vocando Matrem dolores augere non voluit, nam audiens Maria, vocari Matrem à Filio, quem amplius juvare non licet, procul dubio vehementius affligi potuisset. Ad propalandum discurret S. Epiphanius, lib. 3. contr. hæref. hom. 79. *Et non-*



bus Maria gestibus, summa devotio, pietas, ac adificatio relucebat, tam vehemens ac ejus afflictio fuerat. Stabat tamen sub cruce, tota modesta, tota honesta, tota composita, summe patiens: ob tot in morte Christi prodigia & signa, cognoscebant multi, quod Jesus Filius Dei esset: Filius Dei erat iste: clamabant milites; si ergo Jesus Mariam vocasset Matrem suam, de mortui Salvatoris Matrem videre zelosus populus desiderasset; si jam devotionem, pietatem, & adificationem vite angelicam, si virilem constantiam, si immotam in afflictione patientiam oculis suis in Maria, proclivis ad idololatriam, Populus hebraeus observasset, certo certius Mariam Deam existimasset, & adorasset, ad praevendam igitur scditiosi erroris contumeliam, non Matrem, sed Mulierem, Mariam Christus in cruce vocavit. En, quam infigni devotione Vas Virgo Maria repleta erat.

Ad participandam de hoc Vase infigni devotionem ac pietatem, hortanti obsequamur S. Bonaventurae. Psalmo 32. nos inclamanti. Exultate Justi in Virgine Maria, & in rectitudine cordis collaudate eam, accedite ad eam cum reverentia, & devotione, & delectetur cor vestrum in salutatione ejus: impendite illi sacrificium laudis, & inebriamini ab uberibus dulcoris illius, influit enim vobis radios sua pietatis, & clarificabit vos, fulgoribus misericordia sua. Amen. Epilogus.

Corpore se totam dat Virgo, corde devotam,  
Contemplando dies transit, orando quies.  
Tu Vas infigne es pietatis, dona benignè,  
Corpori, cordi meo, sese votare Deo.

